


# THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

1. [Illegible text]
2. [Illegible text]
3. [Illegible text]
4. [Illegible text]
5. [Illegible text]
6. [Illegible text]
7. [Illegible text]
8. [Illegible text]
9. [Illegible text]
10. [Illegible text]
11. [Illegible text]
12. [Illegible text]
13. [Illegible text]
14. [Illegible text]
15. [Illegible text]
16. [Illegible text]
17. [Illegible text]
18. [Illegible text]
19. [Illegible text]
20. [Illegible text]



**DISSERTATIO**

INAUGURALIS MEDICA

DE

**ORRHYMENTIDE**

**P S Y C H I C A**

QUAM

SENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS AC DIRECTORIS,

SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS

DOMINI DECANI,

REC HON

CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM

PRO

**DOCTORIS MEDICINAE LAUREA**

RITE OBTINENDA

IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM  
UNIVERSITATE HUNGARICA

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

**P. DEMIANY.**

Theses adnexae defendentur in Palatio Universitatis  
majori die Febr. 1835.

---

**P E S T I N I,**

TYPIS JOS. BEIMEL, C. R. PRIV. STRIGONIENSIS  
TYPOGRAPHIAE, AC UNIUS E PESTANIS PROPRIETARII.

---

**O**rrhymenitis psyctica ( ab ὄρρηος serum, ὑμεν  
membrana, ψύξις refrigerium, iuxta vim vocis, in-  
flammatiō membranarum serosarum a refrigerio na-  
ta) Fluxio, Rheuma. — Rheumatismus est morbus  
sui generis, cujus signa essentialia sunt tensiones  
molestae ac dolores vagi, raro fixi, a vicissitudini-  
bus atmosphaericis orti. —

Conabatur quidem olim explicari e materia spe-  
cifica rheumatica, ex acrimonia arthritica, e soli-  
dorum atonia, ex asthenia e spasmo; ast recentiori  
aevō scientiis naturae magis, magisque excultis<sup>1</sup>,  
etiam doctrina de rheumatismo, luci majori, quam  
nunc jam spargunt, exposita, aliam induit faciem.  
Praeunte egregio Bichatio clarior innotuit cognitio  
de systematibus organicis oeconomiae animalis, et  
extra dubitationis aleam positum est, primitivam  
adfectionis rheumaticae sedem esse in membranis se-  
rosis; sed sub decursu morbi diuturni, et gravioris  
etiam membranas fibrosas in morbosae reactionis  
sphaeram trahi.

Sistunt autem membranae serosae saccos undi-  
que clausos e membranis simplicibus, homogeneis,  
albicantibus, nitentibus, paucissimis vasis sangvife-  
ris, iisque mere superficialibus instructis, conflatos;  
quarum superficies interna libera vaporoso halitu hu-

•

humectatur, quo intermedium suum intervallum repletur, superficies autem externa aspera, organis adjacentibus adhaeret.

Si itaque consideramus membranas serosas manifestare fabricam homogeneam, et ideo etiam ejusdem capacitatis dynamicæ, quarum superficies interna libera, continuo vaporem humectantem transudat, unde facultatem acquirunt electricum, ac caloricum aptius conducendi (corpora humida enim conductorem meliorem præbent pro imponderabilibus); si porro perpendimus amiculum corporis externum pilis, qui isolatrices vires erga imponderabilia exserunt, esse munitum: concludere fas est, membranis serosis inter plura alia officia, etiam illud particulare munus incumbere; caloris utpote, ac electricitatis animalis æquabilis per universum corpus distributio, hujusque æquilibrii conservatio. Dermati contra externo convenire, nimium secessum imponderabilium impediendi. Inde simul emergit, membranas serosas fovere cum cuti externa antithesin polarem. —

Porro observationibus recentiorum evictum est, primordia cujusvis rheumatismi consistere in congestione activa, vel ipsa phlogosi membranarum serosarum. Quod ultimum plerumque tunc locum habet, ubi dispositio subjecti, vel genius epidemicus inflammationibus magis favent. —

Ast hæc phlogosis membranarum serosarum a prototypo inflammationum, in gratiam substrati et causæ procatareticæ, distincte et constanter ablu- dit. Hac de causâ induit characterem inflammatorium

**illegitimum sive specificum.** Proprietates enim essentielles et specificae, quae inflammationi rheumaticae competunt, eamque tali pacto a phlegmonosa distinguunt, et characterem specificum convincunt, sunt sequentes: dolor, pathognomicum rheumatismi adtributum, non adeo est constans, quam in phlegmone, adaugetur enim vespertinis horis, sublucanis vero remittit, nec non peculiaris est doloris qualitas, est enim lancinans, tensivus. — Ruboris, et tumoris minor intensitas, et nonnunquam absentia, ex inopia vasorum sangviferorum et profundiori situ membranarum serosarum concipitur. — Raro rheuma fixam tenet sedem, sed ad remotissimas saepe partes territorii membranarum sero-fibrosarum quam citissime diffunditur. — Diathesin sui generis inducit rheumatismus, qua posita, summus in recidivas fovetur nisus. — Febris, quae umbrae adinstar topicam adfectionem comitatur, quamquam characterem inflammatorium, vel saltem irritativum praesertit; tamen notis distinctis gaudet, quibus a febre inflammatoria et irritativa distinguitur. Ad has pertinent praecipue urinarum et cutis conditio particularis. Urinae enim sunt semper turbidae vel profunde rubrae cum hypostasi rubella aut lateritia, quin tamen criticae sint. Transpiratio cutanea eum in modum aucta est, ut copiosissimo, ast non levante sudore diffluant quasi aegri. — Proprium agnoscit substratum rheuma id est membranas serosas; phlegmone autem qualemcunque sine distinctione adficit partem. — Unicam causam excitantem in atmosphaericis injuriis agnoscit, scilicet psycicam (a

φύξις refrigerium). Dolores sub syphilitide, scrophula, scorbuto, et aliis cachexiis, qui perperam rheumatismi spurii adpellantur, ad rheumatismum pertinere non possunt, quia ex alia causa specifica evolvuntur. Inde simul patet, determinationem magis logicam, ubi ipsa jam denominatione substratum indoles, et origo rheumatismi definitur esse: *Orhymenitis psycetica*.

## Nosographia generalis.

Vix unquam derepente invadit, sed sœtis opportunitàtis signis annunciat<sup>r</sup> rheumatismus acutus. Incipit ab horripilationibus vagis, brevibus, raro iteratis, lassitudine, inertia ad motum, ac molestis hinc inde tensionibus musculorum, quibus aestus subsequitur universalis, cephalœa, carebaria, siti intensa comitatus. Eodem tempore dolores vel fixi, vel vagi tensivi, punctorii, lancinantes, stringentes in variis evolvuntur locis, uti: in vaginis nervorum, in membranis serosis, quæ sua super viscera prolongatione eorum involucra formant, in membranis, quæ musculos amiciunt, ac inter eorum fibras, et lacertos immerguntur; præsertim in capsulis articularibus, et quidem crebrius in nucha, humeris et genibus, qui ad vesperam valdopere exasperantur una cum febriliū symptomatum turma, sublucanis vero denuo remittunt horis, tactum reformidant, motum partis adfectæ difficilem reddunt, aut prorsus impediunt. Ubi sedem fixam habet morbus, serosi humores majori copia confluunt, unde tumor albicans,

oedematosus in artubus; lacrymatio copiosa in oculis, diarrhoea in adfectione intestinorum, oriri solent. Quo gravior adfectionum rheumaticarum fuerit gradus, favente praepremis constitutione brumali; eo magis quoque phlogisticus evolvitur character, ex turgore maximo, orgasmo humorum, pulsuum conditione, ac sanguinis crasi, facile cognoscendus. Respiratio nisi thoracem plectat rheuma, illibata persistit; lingua semper humida, et pura cernitur; symptomata gastrica nonnisi aestivo, vel sordibus complicato rheumatismo competunt. Urinarum ac cutis conditio particularis, et essentialis in rheumate acuto, jam descripta est superius.

## Aetiologia.

Dispositio major in rheumatismum animadvertitur in cunctis sensibilibus, exhaustis, histericis, qui teneram cutis compagem habent, ac vicissitudines atmosphaericas nimis anxio fugiunt. Eminentem vero in rheumata dispositionem largitur morbus semel exantlatus, ac propensio major in sudores. Minus vero inclinant in hunc morbum illi, in quibus diathesis catarrhosa viget, et cutis magis sicca observatur. —

Causa procatartica unica existit in rheumatismo, nempe: refrigerium, sive mutatio repentina frigoris, et caloris. Pro diversitate, qua refrigerium organismum humanum adûcit, etiam diversitas formae, origo sporadica, endemica, et epidemica plurimum determinatur. — Epidemice plurimum gras-

satur rheumatismus circa aequinoctia, sed et aestate observatur, si per tempus longius atmosphaera calens, nimis rapide frigore temperatur. Endemico ortui favent; clima quod tempestatis inconstantiae opitulatur, loca uliginosa ad rippas fluviorum et littora maris, in vallibus, universim regiones zonae temperatae. Sporadica oritur rheuma, si organismus aestuans derepente exponitur aëri frigido cellarum, cavernarum subterranearum, ejusque perflatu per angustas rimas, in cursitatione ventu adverso, diversarum partium tempore somni denudatione, aliisque innumeris ejusdem generis influxibus.

### Nosogenia.

Ut ex tot organis, eorumque functionibus, et actionibus organismi humani, harmonicus concentus, ex tot vivis partibus vita una emergat; definita harmonia inter omnes partes, et ideo etiam harmonica distributio et aequilibrium certum caloris et electricitatis animalis in organismo adesse debent. Hoc autem ut effici possit, duplicis generis naturae apparatus omnino requiritur, quorum unus calorem, et electricitatem animaleam aequabiliter distribuit, alter nimis praecipitantem secessum impedit. Hoc cutim externam, illud membranas serosas praestare, et ideo antithesin polarem inter cutim et membranas serosas existere, superius jam monuimus.

Posita nunc tali conditione organismi humani, ubi corpus aestuans sudore diffluit; tum derma externum magis calens, humidumque bonum jam praebet



conductorem pro imponderabilibus secedentibus, polaritate itaque sublata, et oppositione inter cutim calentem et frigus aucta, haec pro suscipiendo effectum frigoris magis disposita erit. — Sub tali rerum positione, si refrigerium admissum fuerit, nimis repentina detractio calorigi et electrici in organismi peripheria necessario efficitur. Cum autem organismus humanus ad eundem typum se continuo conservare studet, et omne deperditum restaurare conatur; tunc in organismi penetralibus necessario evolvitur nisus, et reactio major ad resarciendum id, quod detrahebatur ad pristinum aequilibrium restituendum. Novimus autem membranarum serosarum praecipuum officium consistere, in aequabili distributione calorigi, et electrici per organismum. Quamprimum igitur repentina succedit horum imponderabilium detractio, necessario hujus systematis reactiones ad resarciendum deperditum omnium primo intendatur oportet, cui ex natura sua convenit aequabilis distributio. Sub omni reactione vividiori autem, vita systematis reagentis intenditur, ideo etiam irritabilitas, et sensibilitas membranarum serosarum adaugetur. Irritabilitas autem, qua membranae serosae pollent, non nisi in earum vasis capillaribus latet, haec cum incitatur, uberius invitatur humorum adfluxus; alvei, qui serosos liquores tantum vehabant, sanguinem recipiunt, arteriosum characterem induunt, talique pacto congestio activa, et in altiori gradu vera phlogosis enascitur. —

Quamquam sensibilitas tantum organica in membranis serosis viget; tamen illa morbose exaltata,

in his frequenter vehementissimos dolores provocat. Prouti autem reactiones membranarum serosarum morbosae, restituendo aequilibrio innixae, mox in una, mox in altera parte territorii membranarum sero-fibrosarum excitantur; ita etiam dolores vagari solent. —

De magna probabilitate sententiae prolatae convincimur, si consideremus: cutim sudore, aliove modo humidam rheumatis ortui favere, humida vero corpora caloricum, et electricum avidè abripiunt, quibus arida est pellis, et animalia, quae non sudant, rheumatismo non sunt obnoxia; — qui rheumatismo laborant, minimas aëris atmosphaerici mutationes, et appropinquantes praesertim procellas persentiant, — in zona torrida et septemtrione, ubi atmosphaerae temperies, sive aestus excessivus, sive gelu vehementis, majorem constantiam offert, electricis proinde vicissitudinibus minus favet, etiam rheumata rariora esse solent; — quemadmodum electricitas et calor, ita et rheumatismus quam citissime, et quasi fulguris celeritate propagantur ad loca remotissima, intermedias partes intactas relinquendo; — quae electricae conductioni favent corpora, rheumaticos dolores exacerbant, uti: frigus, humiditas, superficies metallorum; — rheumaticos cruciatus vicissim mitigare juvant corpora idioelectrica omnia, uti: pelles animalium, lana, gossypium, atmosphaerae calor temperatus, et aequabilis; — frictio, princeps extricandae electricitatis, et caloris medium, egregium sistit dolorum rheumaticorum lenimen.

## Terminationes.

**Terminatur rheumatismus acutus in salutem, in posthuma varia, in mortem vero directo modo non nisi rarissime.**

Faventibus circumstantiis, et apto tractamine, saepissime rheumatismus acutus in salutem abit, remanente tamen semper magna proclivitate ad morbum eundem subeundum. Febris enim rheumatica more februm symptomaticarum conamina critica imperfecta evolvit, et unicae excretiones, quae cum emolumento contingunt, sunt sudores moderati, et aequabiles, atque saturarum urinae fluxus. Quo vehementior autem fuerit febris ob topicam inflammationem graviorem, et magis extensam, vel ob genium epidemicum funestioem, eo perfectiores evacuationes criticae animadvertuntur. Topica autem congestio activa, vel inflammatio membranarum serosarum benigna resolutione dissipatur.

Transitus rheumatis in posthuma varia duplici ratione considerandus est; quoad adfectionem topicam, et quoad febrim comitem. Vix unquam terminatur adfectio topica in suppurationem, indurationem, et gangraenam; sed eo frequentius in congestiones chronicas dolorificas, metaschematismos, hypoclepses varias, et concrementa calcarea. Febris autem rheumatica, quae a topica adfectione dependet, nullos particulares exitus agnoscit. Sub influxu epidemiae hiemalis, vel sub tractamine pravo, characterem inflammatorium graviorem adipiscitur, in characterem vero nervosum vix unquam abit.

In mortem directe raro abit; nihilominus inflammationes rheumaticae pleurae, pericardii arachnoideae, intestinorum praesertim a funesto metaschematismo exortae, nobilioris organi functionem opprimendo, lethales fieri observantur.

## Prognosis.

Faustus plerumque in rheumatismis acutis eventus futurus est praedicendus, praesertim si magis externas, et ignobiliores partes occupaverit, si levioris gradus, et ab omni initio debitis auxiliis oppugnatus fuerit. Ast ob eminentem in metaschematismos nisum, prognosis semper debita cum cautela statuenda.

Recidivantem saepius inflammationem rheumaticam, sequitur chronica difficulter eradicanda rheumatologia. Difficilius est sanatu inflammatio rheumatica summe dolorifica articularum et nervorum, facilius vincuntur rheumata viscerum et musculorum.

## Therapia.

Indicationes in omni therapia rationali desumuntur a natura morbi. Consistit autem natura Orrhymenitidis psycicae in statu synphoreseos, aut phlogoseos membranarum serosarum, provocato per reactiones vividiores ad restaurandum caloricum, et electricum repentino modo ab initio per refrigerium cuti detractum, quorum ulterior secessus per cutim humidam sustinetur, unde continuae reactiones in

membranis serosis ad resarcienda deperdita imponderabilia provocantur, et hac ratione continuæ quasi fluctuationes, et inaequalis distributio calorigi, et electrici per organismum sustinetur, quod simul essentiam orrhymentidis psycicae constituit.

Indicationes igitur inde fluunt sequentes: 1-mo Dissipare anphoresin, aut phlogosin membranarum arosarum. 2-do impedire nimium secessum imponderabilium per cutim, quo simul causa continuarum reactionum morbosarum in membranis serosis tollitur. 3-tio electrici et calorigi aequabilem distributionem per organismum promovere.

Satisfaciunt primae indicationi antiphlogistica gradui morbi rite adcomodata, quae eodem tempore, quo irritationem universalem compescunt, simul topicam irritationem minuere adnituntur. Suum hic locum defendunt evacuantiæ praesertim eccoprotica, emollientia, diluentia, ipsaque venaesectio, si gravior urget phlogosis in organo nobiliori, aut febris comes gravior. Hirudinum vero usus sit in rheumate fixo cautus, in vago nullus.


Indicationi secundae conveniunt per eminentiam omnia corpora idioelectrica, dolentibus praesertim locis adhibita; uti sunt stupa canabina, gossypium, lana, panni xylini, sericum ceratum, pelles animalium, etc. quae tanto majorem efficaciam acquirunt, si fumo substantiarum resinosarum, succini, mastiches, baccarum Juniperi impraegnantur. Generatim convenit tractamen siccum, aër siccus, purus, moderate calidus, fuga humidi et refrigerii.

Tertiae indicationi satisfacimus, si exhalatio-

nem membranarum serosarum promovemus. Suam hic laudem merentur decocta et infusa emollientia tepide sorbilata, sambucina, acetum ammoniacale, et alia plura. —

Inflammatione fracta, Diatesi rheumatica tamen non avulsa, ab antiphlogisticis pedetentim recedendum, ac ad ea transeundum remedia, quae in rheumatalgia chronica laudantur; uti sunt: Sulphur, auratum antimonii, Kermes mineralis, Tartarus emeticus, Sal ammoniacus, Sulfur, Gvajacum, Sassaparilla etc. —

Regimen diaeteticum quoque, si rite dirigitur, quam maxime ad morborum rheumaticorum sanationem contribuit.



## **T h e s e s .**

---

- 1. Omnis vita latet, donec calore excitetur.**
  - 2. Morbi psychici ferme omnes radican-  
tur in abnormi conditione organorum, quae  
i imaginationi inserviunt.**
  - 3. Syphilis medorrhoeica et phagadaenica  
sunt morbi, quoad originem, formam, et in-  
dolem diversi.**
  - 4. Mercurius, contra luem syphiliticam uni-  
versalem, remedium certum et specificum.**
  - 5. Virtus auri contra paupertatem magis  
experta, quam contra morbos.**
  - 6. Conditio psyches a conditione zomatica  
determinatur.**
  - 7. Logica denominatio morborum in medi-  
cina desideratur.**
  - 8. Mori sensu physico nihil est, nisi for-  
mas externas solvere, non vero ipsas res de-  
lere.**
  - 9. Febris intermittens arsenico nunquam  
credenda.**
- 